

nisterio verbi, hæc est, quod habemus officium sanctum & cœleste, ad quod *ritè vocati*, gloriamur contra omnes portas inferorum.

§. 4. Hæc autem, quæ hæctenus adducta, intelligenda sunt de ministerio publico, & ordinario, hoc ministerio ne quidem in adducto casu, & deficientibus aliis Ecclesiæ ministris sine vocatione fungi licet. Quod autem attinet actus privatos & extraordinarios, ut sunt *baptisatio infantis*, quando periculum vitæ imminet, & minister ordinarius haberi non potest; *absolutio*, quando in defectu ministri, morte appropinquante, aliquis eam anxie desiderat, & periculum animæ ob firmam persuasionem ægroti imminet, si non absolvatur; similiter actus concionandi extraordinarius, tales actus sine vocatione peragi possunt. Vid. B. König Casib. Consc. *De statu Eccles. cas. 7.*

§. 5. Ad primam rat. dub. Resp. Licet deficient quandoq; ministri in aliquo cœtu ecclesiastico, non tamen illicò est casus necessitatis, nam 1. cœtus iste interdum uti potest vicino ministerio: si autem neq; hoc fieri possit, membra talis cœtus, quod verbi prædicationem attinet, loco ejus adhibere possunt utiles, & ad ædificationem concinnatos libros, adeoq; prædicationem verbi lectione compensare. Quod attinet baptismum, si infanti non immineat periculum mortis, non est casus necessitatis, adeoq; non vocato non licet baptismum administrare: quod S. cœnam attinet, satius est, si à vicino ministro administrari non possit, eam differre in aliud tempus, ubi ordinarius ecclesiæ minister haberi potest, cum hic nullus detur necessitatis casus. Ad secundam rat. dub. Resp. Cum Lutherus vocationem non necessariam esse ait, non loquitur de ministerio publico, ad hoc enim semper urget vocationem adeo, ut in tentationibus potentissimum suum solatiû in suâ vocatione positum habuerit. Sermo igitur Luthero, ubi necessitatem vocationis negat, est de communi jure omnium Christianorum, qui sunt regale sacerdotium ad annunciandum virtutes ejus, qui eos vocavit, 1. Pet. 2. 9. ubi non requiritur peculiaris vocatio, sed sufficit Christianum esse: non autem Luth. vult, ut omnes Christiani exerceant hoc jus & potestatem promiscuè, sed ut hoc fiat per certas personas legitime vocatas: Ita B. Balduinus l. 4. cas. consc. c. 5. cas. 1. cujus verba sunt: *Cum Papa & Episcopi jus vocandi Ecclesiæ ministros nullo jure ad se rapuissent, sacerdotio populi opponit Lutherus jus commune omnium Christianorum, quos Petrus vocat regale Sacerdotium. Hanc autem potestatem annunciandi Evangelium publice exercent non omnes promiscuè, sed per certas personas ad ministerium legitime vocatas,*

vocatas,